

ORATIO PANEGYRICA
IN
SEMPITERNAM LAUDEM ATQVE MAGNIFICENTIAM
B E R O L I N I
REGINAE VRBIVM
IN
GERMANIA
CVM
DEVOTA SVPPPLICATIONE PRO PERPETVITATE
DOMVS POTENTISSIMAE
BRANDENBVRGICAE

SOLLEMNITER HABITA
A. D. XXXI IANVARIII MDCCI

in
florentissima vniuersitate Ienensi

AB
SAMVELE RITTNER
BEROLINENSI

I E N A E
EX OFFICINA NISIANA
M D C C L

(1701.)



SERENISSIMI ET POTENTISSIMI

PRINCIPIS AC DOMINI

D O M I N I
F R I D E R I C I


REGIS BORUSSIAE

MARCHIONIS BRANDENBURGICI, S. ROMANI
IMPERII ARCHICAMERARII, ET ELECTORIS,
DUCIS MAGDEBURGI, CLIVIAE, IULIACI,
MONTIVM, STETINI, POMERANIAE, CAS-
SVBIORVM ET VINIDORVM, ET IN SILESIA
CROSNAE, BURGGRAVII NORIMBERGENSIS,
PRINCIPIS HALBERSTADII, MINDAE ET CA-
MINI COMITIS HOHENZOLLERAE, MARCAE
ET RAVENSBERGAE, DYNASTAE RAVENSTEINI,
ET TERRARVM LAVENBURG ET
BVTOV, AC RELIQUA

FILIO VNICO

SERENISSIMO PRINCIPI AC DOMINO
D O M I N O
FRIDERIC O
VVILHELMO
REGNI ET ELECTORATVS HEREDI
PATRIAE NON MAGIS
QVAM GERMANIAE TOTIVS
EXCELSO SIDERI
ORBIS DELICIO
DOMINO SVO CLEMENTISSIMO
ORATIONEM HANC PANEGYRICAM
QVA
HONOREM AC MAGNIFICENTIAM
BEROLINI
REGINAE VRBIVM IN GERMANIA
PIISSIMA INTER VOTA
ET GRATVLATIONEM
INCLITAE ACADEMIAE IENENSIS
IN TEMPLO PAVLLINO
PROSECVTVS
CVM DEVOTISSIMA SVBIECTIONE

D. D. D.
SAMVEL RITTNER



*Magnifice Domine Rector, Illustrissimi Domini Comites
Patres Academiae Conscripti, Patroni, atque Praeceptores
omni honore prosequendi, Hospites omnium ordi-
num honoratissimi, tuque generosissimorum, nobilis-
simorumque commilitonum lectissima concio.*

EXPERIUNTUR etiam flo-
rentes, opulentaque vrbes
fatales suas commutationes,
& illaetabiles fortunae vi-
cissitudines. Huius rei no-
bis in illustri posita monimento ex-
empla relicta sunt; praecipue quando
veteris, & nostri temporis recolimus
memoriam: enimvero inhorrescimus,
quando tot tantasque vrbes iacere ho-
die in ruinis; ac nihil amplius superesse
A de

ORATIO

de celebritate harum pristinā, auctoritate, amplitudine, ornatu, robore, nobilitateque recordamur. Carthago, celeberrima vrbs Africae, imperii Romani aemula, quaeque tantis praepollebat opibus, vt orbis terrarum domina vocari laborarit; ob quam etiam rem Romanis idem agitantibus terrori maximo, tandem terra marique infestata, a Paulli Macedonici filio, acerrimi heroe animi, quem Africani Scipionis filius adoptauerat, multo labore, magnaque vi expugnatur, vincitur, & dierum decem & quinque incendio deletur, & funditus peruertitur.

Ita cuiuslibet corporis, vt loquitur historicorum sapientissimus, ciuitatis, aut actionis naturale aliquod succrescendi tempus, deinde florem, statumque suum obtinendi, & demum vergendi ad interitum: atque ita natura comparatum, vt tum maxime quaeque vigeant, quando in illo perfecto existunt statu. & hoc luculenter discrimen inter Carthaginem, & Romam amplissimas ciuitates, copiosissimasque animad-

PANEGYRICA.

maduertebatur : quando namque citius Carthaginienſis, & prius quam Romana praecipuum ſuum florem, & incrementum fuerat confeſcuta : tanto magis Carthago quidem defloruerat, & eſſoeta tunc erat: Roma vero, integra vigente rei publicae forma, cum maxime tum effloreſcebat. Neque in praefenti commemorabo ad faſtidium uſque, uices Corinthi, Achaiae urbis ut florentiſſimae ; ita quoque opulentiſſimae: haec pariter labefactata, & per L. Mumium, cum laberetur annus urbis conditae ſexcentefimus ſextus extincta: & huius quae totius antea Graeciae lumen erat, vllum vix relictum eſt veſtigium. Ita vero cognoſcimus locupletes, munitasque vrbes deſtrui, atque exſcindi: maxime autem propter profligata ſtudia impietatem, iniuſtitiam, auaritiam, ſuperbiam, & atrociam cetera crimina. Verum enim uero non lacerantur modo commerciis, opibus, diuitiis adfluentes vrbes; litterarum etiam praefantiſſimarum ſtudiis inclutis impendent eadem tempeſtates ſpurcae. Me-

mo-

ORATIO

morabile in aliis Masfilia, cuius magna semper fuit gloria, & praedicatio suppeditare potest testimonium: etenim non solum ibi salutare leges in re publica; sed etiam castissimae disciplinae observabantur: quare libentius proficiscebantur eo Romani, ut doctrina omni condecorarentur: studiosorum saepius etiam frequentia imminuit Athenas, & palmam fecit dubiam: sed conticescunt tempestate hac praeclara studia, & truculenta dominatur barbaries. Elegantissimarum artium magistrae, & inuentrices Athenae, vrbs fandi, & eloquentiae nutritrix, philosophorum mater, doctrinarum, & diuitiarum omnium copia praecunctis vrbibus exornata, cultum omnem hodie perdidit. Neque vno duce, aut tyranno vrbs haec Graeciae primaria pessum data, variis fuit temporibus obnoxia cladibus, & infortuniis; adeo ut vix nomen suum retineat, & Sathines adpellitetur. atque sacri quidquid ibi, amoenive incensum est: diruta non tecta solum, sed etiam sepulcra; nec diuini, humanive iuris quidquam.

prae

PANEGYRICA.

prae impotenti ira conseruatum. Itaque vrbes moriuntur cultissimae, mutantur, & exuruntur. quae vero hodie permultarum facies vrbium in Europa, aut potius Germania sit, profecto cunctis testatissimum Quot, quae solvos, Auditores splendidissimi, vrbes inclitae vetustate, famaue conditorum destitutae sunt? quot loca, quae floruerunt rebus antea omnibus, conuulsa iam ex suis sedibus, spoliata, & inter gravissimos bellorum fluctus protrita, & conculcata? quot musarum periucunda delubra euersa, & quantae querimoniae passim nunc audiuntur? Has calamitates, & tempestates, quibus vrbes quondam pulcerrimae, ornatisimaeque afflictae sunt, quando quis penitus paullo considerat, non potest non cunctis indolere sensibus: & quando contra videt, & ad animum serio reuocat, DEVM pro infinita bonitate, & indulgentia patriam urbem, principem, & patriae patrem, inter tanta mala, & excisiones aliarum conseruasse, laetari maxime, exultare, & salutaria in posterum quaeque a DEO

B

pro-

ORATIO

propitio adprecari. Romani, gens rerum praeclarissime gestarum magnitudine nobilissima, colebant & peragebant singularibus caerimoniis, sacrificiis sollennibus, ludis Circensibus, scenicis, ac munere gladiatorio, quinquennialia, decennialia, vicennialia, & id genus festa alia, propter conseruationem vrbis, atque principis: & deinceps vota nuncupabant alacres, atque laeti persoluebant: deos precabantur, vt principem, quo salus publica contineatur, remque publicam florentem, & incolumem ciuitatem in posterum seruarent, & communirent. omnino laudanda horum pietas; sed superstitione multiplici contaminata fuit. Qui DEVM summum vera pietate profitentur Christiani, maiore stimulantur vi, & religione pro salute patriae, vrbis, principis vota figere ardentissima; DEO gratias agere, eiusque potentissimae tutelae, curae, & prouisioni commendare omnia. Hac de causa impellor ego etiam, moneorque, relictis rebus omnibus, patriae meae carissimae, vrbi BEROLINO
tan-

PANEGYRICA.

tanta de felicitate sua gratulari , DEO-
que huius soli auctori , seruatori , prae-
fidi , & custodi , humillimas laudes , gra-
tesque dicere ; vtpote qui urbem pa-
triam meam maximo suo tutatus prae-
fidio ; & in dies ad maiora prouehit in-
crementa. Videmus hodie res sene-
scere urbium alias clarissimarum , &
exhauriri : e diuerso gaudemus , admira-
mur , extollimus , patriam urbem BERO-
LINVM cottidianis efflorere auctibus :
atque DEI ter optimi , terque maxi-
mi ope , & auxilio , altius efferre ca-
put. Itaque pro huius perpetuitate , &
gloria subiecti omnes pii orant , obse-
crant , obtestanturque. Maxima fuit
adhuc sedes Electorum ; iam quoque
tamquam excelsissima REGIA suspicitur :
iure igitur merito REGINA VRBIVM IN
GERMANIA concelebranda est : atque e-
go huius in praesenti gloriam , quae
quidem diu per terrarum orbem per-
vagatur , splendoremque , ac magnifi-
centiam summis tantum lineis , noui e-
nim probe mei imbecillitatem ingenii ,
significabo : neque vero fieri potest ,

vt

ORATIO

vt in tanta magnitudine, amplitudineque singula, pro eo atque dignitas adposcit repraesententur. Sed ante ego quam adgrediar, de quibus mihi dicere constitutum est, vos exorandi Auditores illustrissimi, & splendidissimi, vt me, vestra humanitate, & beniuolentia, qua complectimini peramplo hoc in loco collocatos, subleuetis, ac mecum pro SALVTE, GLORIA, FELICITATE PATRIAE VRBIS, REGISQUE NOSTRI LONGE CLEMENTISSIMI pia, & casta vota concipiatis.

Quid igitur, Auditores optimi, honoratissimique, est in vlllo genere tam admirabile, quo non multo admirabilior sit ciuitas BEROLINVM? quid, quaeso, tam praestans, atque nobile, quo non ipsa sit & praestantior, & nobilior cum felici eius ortu, situ, clementia aeris, fertilitate soli, amoenitate, iucunditate, & rerum omnigenarum beatissima copia? Tanta profecto vrbs BEROLINI celebritas, & gloria est, vt non modo ore aliquo facundo edisseri non possit; sed ne cogitatione quidem, ac mente effin-

gi

PANEGYRICA.

gi. Quare plures vituperabunt me, cur haec vero audeam; aut omittam illa, quae in vrbe sint praecipua; itemque cur ista copiose, & abundanter non commemorem: alii, quod ominor, criminabuntur, cur percenseam haec tam ieiune, & exiliter; illa contra non ornate, & polite. porro alii sine dubitatione obiicient, cur adtingam ea, quae iam summi, & eloquentissimi homines consignassent litteris, aeternisque consecrassent monumentis. Sed his insimulantibus propono pietatem, qua trahor in patriam urbem, ac consolor me vestra, Auditores, benignitate; & quod in rebus arduis perficiendis, gloriae ducatur etiam, & voluisse, & curasse, & studuisse. Ea propter dicam primum, quanta maxima tamen potero breuitate, de felici ortu BEROLINI: nolo autem adferre in praesenti verbosius, quae sunt paullo antiquiora, quibusque pleni scriptores rerum praeteritarum: omnino praesentia tanta sunt, vt non reperiam facile, quemadmodum huius institutae expediam orationis exitum. Quod igitur

ORATIO

tur ad originem adtinet, deberi Regiae BEROLINI adfirmant, comprobantque Alberto Vrso Ottonis Noni Comitis Anhaltini filio: quidam arbitrantur autem, maiori potius spatio condonasse; & inclusisse muris: deinceps eodem perhibent tempore condidisse vrbes, & arces alias sua nomine insignitas, Bernoviam, Berneuigam, Beeruvaldium, Bernsteynium, Betoliniam, aliasque. Ab hoc igitur occoeperunt ciues ad crescere, & pertinaci suo labore, & industria locupletari. Sed quae est rerum humanarum varietas, horrible exortum anno millesimo trecentesimo & octuagesimo incendium est, quo prope cunctae confectae aedes; & ciues facti miserabiles, & calamitofi. Sed Lutzelburgica familia in Bohemia, in quam illo tempore Marchionatus Brandenburgensis transfierat, noua plurima ipsis Berlinensibus, hac fortuna grauiter offensis praestitit subsidia, benigne fouit; vt eo se colligere citius, viresque potuerint resumere. Ciues autem ex suarum tam felici rerum successu facti elatiores, maiores-

PANEGYRICA.

ioresque adpetierunt res, contra senatum publicum: quibus vero interueniebat Fridericus Marchio tumultibus, urbem tranquillabat, & imponebat arcem; constituebatque ita omnia, ut ciues amplius haud possent ferocire. iuste igitur quando procax libertas florentes rectis vrbes legibus miscere cupit, compescenda; & durius licentiae frenum iniiciendum. Atque vero tunc videre & sensere demum sibi minus conciliati omnes, quantum malum sit; nec non miseria ciuilis furor, & discordia: rectorem interea Berlinenses susceperunt, dum libertati suae nullum posuere modum exemplo futuri similibus ciuitatibus, ne se per licentiam insolentius efficerant. Itaque nihil magis ad prosperitatem communium urbium interest, quam viuere aequaliter; agnoscere quemque sui gradum ordinis, & praerogatiuam. ea dum in obliuionem transiunt, ut vel gubernatores permessa sibi male ac iniuste utantur potestate; vel minores libertate quoque nimia lasciuiant, venit rerum arbiter aliunde: ad hoc enim

ORATIO

enim potestas omnis ab supremo numine constituta: haec gestat gladium ad malorum poenas. neque recte factis metuenda illa; laus consequitur, honos, & gloria. Hinc quoque factum est, quod posthac sedem suam aulae prorsus eo transtulerint Marchiones, ut ibi aula splendidissima praeemineret, nec ciues amplius eius libertatis nimiae, & immoderatae forent studiosi, quam ante sibi sumferant. Ita intelleximus, Auditores ornatisimi, prima urbis BEROLINI cunabula. Omnino rerum omnium, ita urbiumque primordia tenuia sunt; sed incrementa capiunt mox feliciora; quando modo sequuntur illi, qui prudenter, atque iuste possint praeesse, & moderari; ut nihil praetermittatur unquam, quod magnitudini futurae frugiferum. Inde sua etiam perfruitur hodie felicitate, & quiete BEROLINVM: posteaquam tam prudentem, felicemque conditorem, aut instauratorem nata est. Neque poterat salubriore, amoeniore, copiosiore, & elegantiore loco exstrui Berolinum, fundarique. Etenim situ pri-

PANEGYRICA.

primum tam commodo ad regendas prouincias, quam feraci humanis necessitatibus, & omnifariae delectationis adfluxu eminent, vt prudentia conditoris non possit non magnopere dilaudari. E regione coecorum Byzantinae illius magnae vrbs auctores aedificare iubebat oraculum Delphicum; nempe Chalcedonis, quae cum ostium maris, & incomparabilem commercii copiam neglexisset, recte spectatoribus caecutiisse videbantur Chalcedonii. Nostra Regia Mesomarchiae Metropolis circum sese cunctas vt bona mater contuetur, ne, quod Persarum Reges solebant, quouis trimestri Principes nostri mutarent sedes statas. Aere praesertim tam puro & facili, vt rarissime morbi, mortesque deplorentur. Ac vtut tellus fabulosa videatur culturam respuere, eadem tamen in fruges, fructusque mirifice luxuriat, nec vsquam regionem amplio-rem, hortos laetiores, & viridaria gratiora conspicimini. Hac ex re rectissima habetur ratio aedificandarum vrbum, quando prouide circumspicitur; an sint

D

fitae

ORATIO

sitae opportunius, vel copia rerum abundantantes, vel aedificiis idoneae; an salubres, & sustenturae rebus necessariis. deprehendi autem omnia haec in vrbe BEROLINO; & desideranda cuncta ibidem haberi largiter, nemo temere inficiabitur.

Hinc, licet mens profana, atque impia non agnoscat, ingens DEI beneficium est, quod vrbi BEROLINO haec bona prae aliis cumulatisime concesserit, quibus plurimi locorum priuantur: vtique sunt tales infelices, propter aeris crassitiam, quae terram circumfundit, & morborum multitudinem: ad immensam frigoris vim, quae constringit maximam temporis partem, stupent, obtorpentque alii; & ad feruidiorem aestum occulte ingemiscunt, ac de malis conqueruntur communibus. Melior vero natura temperauit singula in regione, & vrbe patria. Sed considerata reliqua sunt, quae summam habent admirabilitatem. BEROLINVM interiecto tempore tam beata cepit incrementa, vt hodie vrbes quinque connumerentur.

PANEGYRICA.

tur. Etenim COLONIA tunc enata; vnde plura saecula cesserunt; quibus BEROLINVM regia heroum fuit sedes, ac tot regum, principumque mater in Europa. Vellem ego iam Nestoreae mihi dictionis nectar adflueret, euehere FRIDERICI I, FRIDERICI II, ALBERTI, IOANNIS, IOACHIMI I, IOACHIMI II, IOANNIS GEORGII, IOACHIMI FRIDERICI, IOANNIS SIGISMVNDI, GEORGII VVILHELMI, FRIDERICI VVILHELMI MAGNI res, & armorum victricium gloriam: ast extulerunt iam decora pridem ingenia hanc ad astra vsque dignissimis praeconiis, huiusque per terrarum orbem splendor ultra solis, lunaeque vias diffusus. FRIDERICVS VVILHELMVS MAGNVS adpellatus, Regis Borussiae & Electoris nostri Parens, memoriae gloriosissimae, prae aliis exornauit BEROLINVM. Etenim duas Hic adiecit vrbes, INSVLAM FRIDERICIANAM, quam FRIDERICI VVERDERAM, tertiam; & DOROTHEOPOLIM quartam vocant numero. Ambitiose laudantur in priscis annalibus Athenae Mineruae nomine; & Apollo postquam Delphos, Bacchus, ex quo
The-

ORATIO

Thebas celebres & splendentes variis studiis reddiderunt: sed maiori est honori, atque immortalis gloriae BEROLINO, dum FRIDERICVS VVILHELMVS, incomparabilis prorsus Elector, Electoralem sedem ita ampliavit, nouisque circumdedit munitioibus: & illam laudatam FRIDERICI VVERDERAM, antehac extra moenia positam, flumine Sprauo totiens inducto, complectuntur. Et cum incolarum numerus praeter modum cresceret, nouum oppidum est adiunctum, a DOROTHEA secunda Electorali coniuge nuncupatum, quod seni tiliarum in quincuncem digestarum ordines insigniter exornant. BEROLINVM, FRIDERICO VVILHELMO imperitante, novis, atque ornatisimis aedibus ita coepit enitescere, vt paulatim vetere oblitterata facie, ea merito inter pulcerrimas magnificentissimasque Germaniae vrbes referri debeat. In Augusti, & Traiani optimorum principum virtutibus censetur, quod sub horum Roma imperio e lateritia facta sit marmorea: & quod hic per orbem terrarum, siue provin-

PANEGYRICA.

vincias, quas Romani obtinuerunt, ingentia excitauerit aedificia: & sic non in vrbe tantum; sed & extra illam reliquerit sempiterna nominis monimenta. FRIDERICVS VVILHELMVS vrbes prostratas, & vacuefactas suis sessoribus restituit pristino nitori, & propagauit incredibiliter. Recordamini, Auditores venerandi, MAGDEBURGV, urbem refertissimam: hanc vero effrenatus, atque praeceps hostium furor, & faeuitia deformauerat, conquassaueratque: sed quanta cepit vrbs per sapientissimi Electoris curam, & plus quam paternam prouidentiam incrementa? atque laetiora dies in singulos accedunt: vt nihil prope areae supersit, cui quid superstruatur. Hac ratione magni, atque pii principes tamquam e specula prospiciunt: oppressis opitulantur; ac sua sollicitudine, & laboribus ciuium felicitatem adaugent, cumulantque. Refertur inter opera Tiberii praecipua, quod vrbes Asiae terrae motu collapsas vel restituerit, vel tributum ad instaurationem remiserit: sed quaecunque

E

etiam

ORATIO

etiam haec sint ; plurima tamen huius facta principis sunt ambitiosa , speciosa , & simulata : neque ignoratur , quam in alios sine discrimine ordinis , sexus , & aetatis acerbiter exercuerit , atque saevitiam insatiabilem. Vera , pia , bona , iusta , nec adumbrata in oculis habebat sanctissimae memoriae Elector , & ad salutem subiectorum ; tantum non beatitudinem publicam respexit sollicitissime. Ex quo igitur sagaci praediti prudentia duces , ac principes clauum tenent regiminis : & quibus regionis , populorum incolumitas maximae curae , cordique est , beatissimi viuunt omnes , & laetantur quietissime. bonus enim princeps est caeleste bonum ; & depositum salutare vniuersis , & optabile : hoc illi vltro confiteri coguntur , qui carent bono eiusmodi ; aut per alios misere exsuguntur , emaceranturque. Sed iam properare debeo ad alia aeterna digna memoria. Haec patentissimus aperitur campus , de noua fossa , per quam Odera cum Sprea coniungitur , communicandis inter Silesiam , & Hamburgum

PANEGYRICA.

gum commerciis , alterum inter admiranda oeconomiae salutaris specimina, commemorare. Eam fossam longo abhinc tempore Electoris maximi maiores fuerant commoliti, infelici tamen conamine, & spe inrita. Ipse melioribus suscepit contra opus auspiciis, ac felicissime absoluit. Perenni dignum gloria, & memoria Galli existimant de suo rege, posteaquam duo hic maria, Oceanum, ac Mediterraneum, vastissimo Isthmo inter Volcas, & Aquitaniam perfosso, nauigabili commercio miscuit: atque gloriantur isti, in contentionem ausus hos cum alteris non mitti posse. Verum enimvero potentissima DOMVS BRANDENBURGICA non minore gloria, & praedicatione efferi potest, & ipsa gloriari. namque his laudatis fluuiis coniunctis praestitit ea, quae sunt visa cunctis insuperabilia. horum fluuiorum alter in mare Balthicum, alter per Albim in mare Germanicum diffunditur. Et, id quod vehementissime miremur, fossa haec, quae decenti aquarum profunditate, nauibus vel maxime onustis idonea,

ORATIO

nea, est lata quinque perticas Rheinlandicas: & in longitudinem porrigitur ultra tria milliaria Germanica: quae viator follers, atque expeditus sex horarum difficulter spacio finiuerit. Atque vero illustrius, gloriosiusque iudicandum, quoniam fluuiorum inclitorum haec coniunctio ipsi videbatur naturae refragari: constat inter omnes, quod Spreae alueus Viadro quinquaginta pedibus altior, non quidem aquis, sed situ: & credendum fuisset, Sueuum integrum hanc fossam mouisse: sed in fluuiorum medio pagus iacet, Muhlrose dictus, duodecim pedes Sueuo, & sexaginta pedes Viadro altior: iuxta pagum hunc est fluuius, Schlube dictus ex Lusatia defluens, lacum efficit. Ex hoc lacu aqua in fossam tam versus Sueuum, quam versus Viadrum deducta est: & ne ob praecipitem decliuitatem euanescat, illic duobus, nouem hinc retinaculis, aut cataractis firmis, sumtuosissimo fulcitur opere. Ita, Auditores optimi, quae adparebant contra naturam suscepta

FRIDERICI VVILHELMI, & FRIDERICI

Re-

PANEGYRICA.

Regis, atque Electoris nostri indulgentissimi cura, & plus quam regia munificentia confecta sunt. Marium ita compendia visuntur: nam quae antea ex Viadro, maritimo itinere, poenitendis ambagibus, circa Iutiam in Albim, & contra deferebantur, ea per fossam FRIDERICOVVILHELMINAM ingenti cum temporis, & impensarum lucro deducuntur: his igitur opportunitatibus subuectiones, euectionesque ad vrbes, & regni salutem instituuntur ad commodatissime. De cataractis in fluuio Sala, & in ipsa vrbe, quibus maxime adiuuantur naues, longum est enumerare. In his memini occasione quadam me audire ex magni aetatis nostrae nominis mathematico: hic cum Regiam BEROLINVM peteret, & contemplaretur magnifica haec opera exstructa, & praecelsa quaeque, dicere: proh fidem hominum! talia relata prius fidem vix inuenisse: iam superare; neque cum his esse facile comparanda cetera. Sed quid iam diceret; si adhuc suppeditaret vita: cum in maius, altiusque incrementum, ornamentum-

F

que

ORATIO

que quotidie omnia proferuntur. Nulli autem mirum videri debet, BEROLINVM ita ditari, & exornari: felix, atque beata dicenda vrbs, propter commoditatem horum fluuiorum; vnde adportantur facillimo negotio ea, quae sunt vtilia, iuxta atque necessaria; & venalia populis exportantur indigentibus. Portus olim duo Corinthum constituebant aggerem nobilissimae felicitatis: cum ex Italia, atque Asia, & longinquis terrae partibus, maxima hominum pars, tamquam ad commune totius Graeciae emporium certatim confluebant, & emendi, & vendendi quaestu, lucroque exstimulabantur. Ego nunc si percensere adgrederer, quid regnum, BEROLINVM, quid singuli, quid integri ordines, quid ciues, quid peregrini, quid domestici, quid extranei, quid plurimi mortales ex coniunctione duorum fluuiorum percipiant, quis, Auditores, finis aut modus foret institutae huius orationis? Adde hoc. DIVVS FRIDERICVS VVILHELMVS inceptor tantae felicitatis, & fundator; FRIDERICVS Rex perfector, protector, defensorque.

Exi-

PANEGYRICA.

Existunt autem longe plura horum HEROVM facinora, vnde elucet hos coelo demissos esse Principes. Quid est admirabilius, diuiniusque eo, dum FRIDERICVS VVILHELMVS MAGNVS nauigationem instituerit in Africam, Guineam tot marium spatiis a nostro orbe diuersam, prouinciam auro, omnique copia locupletem. haec vero ad felicitatem imperii, & ciuium necessitatem instituta. Neque vero denegari, aut sufflaminari poterat communi iure gentium, quo quibuslibet liberis populis marium accolis cum aliis liberis per patulum mare commercia colere est integrum. Emitfit FRIDERICVS VVILHELMVS MAGNVS totas classes in hanc prouinciam, & post difficultates quasdam, barbarorumque molitiones superatas posuit munimentum, quod a suo nomine MAGNUM FRIDERICOBVRGVM vocatur: florent ibi hodie commercia, & negotiationes: incolae magnis commodis, & immunitatibus gaudent, excitantur, subleuantur. Quod autem DIVVS FRIDERICVS VVILHELMVS in Africa ultra gesti fidem, opera-

ra-

ORATIO

raque effectu maiora quam voto ; FRIDERICVS Rex in America , DEO duce, & auspice , peregit: neque quidquam auspiciatissima incrementa retardauit. Meridies, & sub hoc etiam occidens, paret BRANDENBURGICIS clasibus: neque incerta, neque dubia significatione pollicentur sibi prudentiores omnes, & augurantur, sub FRIDERICO VVILHELMO MAGNI NEPOTE vel ad vltimas insulas, & terras benignissimo fidere excursuras. Itaque ex his conspicitur, quanta cura, & vigilantia horum OPTIMORVM, MAXIMORVM PATRIAE PATRVM fuerit in procurandis Regni, atque gentium vtilitatibus: quantaque prudentia, exaggeratio animi, sapientia, & potentia adhibita in rebus omnibus. Fortunatissima, & felicissima igitur imperia sunt, quando prudentes, sapientes, potentesque imperant. non enim imperium ad bene, beateque viuendum satis est: neque numen in viribus prosperitatem collocavit: sed oportet adesse, immo vero potius ante suppetere prudentiam, quae quam rectissime potentia vtatur. Hac de

PANEGYRICA.

de caussa principes illi numeris omnibus absoluti habentur, quando vtraque egregie cumulati. prudentia, & vires si coniunctae fuerint, inexpugnabiles sunt: sin disiunctae, vt vel vis, sine prudentia, vel prudentia sine viribus reperiatur, facile vinci, atque expugnari poterunt. Ornamentum, decusque regium omnes quidem virtutes sunt: sed omnium maxime regia prudentia est: hac subnixi MAXIMI ELECTORVM semper, & consecuti tanta, quanta nemo facile poterat sperare. Atque vero cum imperia nulla, prouinciae, res publicae, vrbes, & agri expertes, atque liberi sunt ab inuasionibus, rapinis, depopulationibusque: quare peropus est potentia, milite ad sua conseruanda, tuenda, & obtinenda. Ego vobis, Auditores, viderer, quod non dubito, actum imprudenter agere, si adducere vellem, quae FRIDERICVS VVILHELMVS MAGNVS, & FRIDERICVS REX hoc in genere consummauerint. Horum virtutum ingentium, potentiae, meritorumque fama vniuersam Europam, & paene terrarum orbem

G

bem

ORATIO

bem peragrauit: neque vlla aetate tantarum rerum gloria potest obsolescere. Quotiens contra sempiternum Christiani nominis hostem miserunt copias auxiliares, quarum admirabili virtute laetati, & obstupefacti ad vnum omnes? quotiens defenderunt terras proprias ab hostium inuasionibus? quotiens triumpharunt de bene gestis rebus; & documenta ostenderunt virtutum inusitatarum? Huius in testimonium, & finem adsunt ingentia armamentaria, & immensi paratus bellici, tormenta, & instrumenta omnis generis. Illorum nouissimum sub REGE nostro structum, & quod quaeuis alia in regnis amplissimis aequat magnitudine, structurae elegantia, commoditate ad vehendum, & ad paratu bellico longissime antecellit. his seruetur pax, pacis etiam tempore, & propulsantur pericula, & mala quae iniuste inferuntur. Vires, noui ego, & tempus, quo circumscribor, deficerent denarraturum alia in his: praecipue qua FRIDERICVS VVILHELMVS, & FRIDERICVS REX fortuna vsus fuerit in vita, in militia

PANEGYRICA.

litia: recensuerunt enim illam sagacissima ingeniorum perspicacitate valentes homines: quin immo nepotes ferè non desinent mirari, colere, suspicere.

Quemadmodum autem FRIDERICI VVILHELMI MAGNI res omnes inauditae, & prope diuinae: ita FRIDERICVS retentissimus tanti HEROIS virtutis heres, & adfectator, compari praeconio extollendus. Neque aliquem vlla commendant ornamenta maiora, quam ea quae illius vera, & propria sunt. REGIS nostri res sunt lucidissimae: neque illustrari debent verbis. Ab animo autem meo non possum impetrare, fauebitis, spero, linguis, animisque, Auditores, quin pauca adferam, quae FRIDERICVS REX ET ELECTOR ad vrbis BEROLINI magnificentiam, & felicitatem porro adtulerit. In his, vt a diuinioribus non perducendi, sed adlegandi primordia capiam, omnia autem sunt diuina, sacra templa perpenduntur; quae partim regio instaurovit impendio, partim magnifice exstruenda curauit. Et vt hoc est numinis aeterni reuerentiae luculentissimum argu-

ORATIO

gumentum: elucet, quod sit omnium curarum REGINOSTRO antiquissima cura, & studium pietatis, sanctitatisque. Itaque quando sacra non specioso obtentu seruantur, & defecata religio acerrime custoditur, non possunt omnia, non in regno euenire prosperrima. Omnis enim lux est a sole; influxus omnis a caelo: a pietate, & religionis intemeratae cura dimanant tamquam liquidiore fonte ceterae virtutes regiae, omnesque sinu, & complexu suo continent. Quare vrbes, prouinciae, imperia intercidunt paullatim, & attenuantur; quia DEVS, cuius bonitati, & indulgentiae sunt reputanda beneficia mortalium, non adamatur: huiusque honos, & gloria, quemadmodum decebat praecelſas animas, non vindicatur. Qui BERO-LINVM proficiscitur, nemo est quin cupide adspiciat Cathedralis ecclesiae ſtructuram magnificam: haec antiquo quidem opere, ſed columnis vtrinque ſublimibus innititur, aureoque ſuggeſtu, ſedilibusque vere Regiis ſuperbit. Confluunt eo pii, vt DEO aeterno, propitioque

PANEGYRICA.

tioque litent, & humillima placent obsecratione. Ab hoc templo Reformati soli tam Germani, quam Galli vnum habent templum; quod diebus sacra- tis incredibili multitudine frequentatur: plura tamen sunt, in quibus alternis cum Euangelico Lutheranis rei diuinæ operantur. Nullius autem religionis sacra polluuntur; tribuitur DEO summo decentissimus cultus, & salutis aeternae instillantur praecepta, & dogmata: inertes exulant litigationes, & diuersa studia, quibus multa passim deturpan- tur. Neque vero non perpetuo inuigi- latur, vt bono ordine fiant in templis sacris, & religione singula: atque nunc silentio praetermittere debeo alia vrbis templa sacra, quae augustius aedificata fuerunt. breui. DEI cultus verus propaga- tur, & BEROLINVM inde videtur optimum asylum religionis, portus, & illorum ara, qui propter DEI cultum eiecti, & exterminati. Quare effunduntur, qui- bus pia, & religiosa sedet mens, in pre- cationes, & vota ardentissima, vt DEVS benignissimus seruet REGEM nostrum. Ita

H

fiat

ORATIO

fiat oportet BEROLINVM VRBS MARMOREA,
& felicior potentissimis quibuslibet vr-
bibus. Quinque regionibus vrbs Athe-
niensis olim determinata signabatur, sed
in omnibus diuersi dii, ineptissimo cul-
tu cohonestabantur: BEROLINVM vincit,
& superat suis vrbibus, & regionibus A-
thenas: heic enim rite, & caste DEI ma-
iestas colitur; sincera propugnatur pi-
etas, atque purior religio. In maxi-
mis collegiis, dicasteriis, & consiliis re-
feruntur auspicanda nulla non ad DEVM
perbenignum: praesunt viri omni san-
ctitate vitae, & innocentia, prudentia,
sapientiaque antecellentes: illustres, at-
que doctrina conspicui constituti, vnde
ad iustitiae, & aequitatis tenorem vbique
diudicatur. Harum rerum quia praesto
sunt clarissima exempla, non opus est
verbis. miserima contra res, vbi iustitiae
leges prostratae, conculcataeque iacent.
In ciuitate per iustitiam, aequitatem o-
mnia peraeque ordinata sunt: neque im-
portune afflictis, & oppressis imbecilli-
tas sua calamitati, aut fraudi est: neque
locupletioribus obest inuidia. Recte igitur
tur

PANEGYRICA.

tur ; magistratus ciuibus , leges magistratibus imperant. adscendunt ita ciuitates , si cum infimis summi pari inniuntur iure, neque vlli vis intentatur, & contumelia. Quando ita sese habet res; inter optimates, & infimates oritur animorum iucundissima consensio: secundissimum, & pacatissimum imperium praestatur principi, & magistratui, qui caritate, & beneuolentia subiectorum tutius obuallatur, quam custodia alia, licet munitissima. frustra se terrore succinxerit, qui septus caritate non fuerit. Iam a sacris his reuertar ad cetera in vrbe BEROLINO magnifica, quae sapientissime iussit extrui, amplificarique FRIDERICVS REX. Hoc autem loco exsultare posset mea oratio in ipsa colaudanda sede Regia, & arce, qua nihil splendidius, nihil magnificentius. Qui eiusmodi spectaculo pascere cupiunt oculos, & animos, intueri satis, & admirari non possunt. Galli honoris, atque gloriae quam cupidissima gens euehunt suam regiam Parisinam splendidam: Hispani Escuriale, alia alii: si

ORATIO

BEROLINI arcem adspiciunt, magnitudinem, pulchritudinemque vident per saepe vrentibus oculis. Atque, si invidia absit, statim animaduertent, quantum aequet, quamque tuto queat mitti in aestimii certamen. adeo magnificentum opus est, adeo stupenda eius fastigia! Confitear oportet sponte, propter amplitudinem, & nitorem, quem verborum, & orationis facultate exaequare decens est, necessario mihi euenire, vt & multa praetermittam memoratu digna, & pleraque adtingam parcius, quam pro illorum dignitate, idem vel oratorum disertissimo, atque ab naturae, & doctrinae habitu non imparato euenire possit. Conspicitur duplex aula, magnis vbique spatiis patula, quadratis inclusa porticibus; sublimibus portarum molibus peruia, commodis vndique habitationibus exornata, sic vt mirari magis, quam imitari liceat. Praeterea videntur aedificia aereis contignationibus excelsa, artificiosis scalarum voluminibus splendida: aheneis tectorum vmbraculis superbientia. Quid-
quid

PANEGYRICA.

quid contueris in arce est magnum, augustum, diffusum, elegans, validum, multiplex. Vides muros arcis forti opere, & lapidibus latis, magnisque interstinctos, aut intectos: vbique sunt concinni columnarum ordines: de prospectu arcis circum pulcerrimo, de puritate, & salubritate non adtinet multis dicere: hoc dicendum. quidquid alibi dispersum est, id largo hic sinu videntur effudisse ars, & natura. Ne autem obliuiscar prorsus, quod debebam addere antea, de auctore addendum, quis arcem opidi condiderit. Huius arcis, palatii non fundamenta tantum posuit, sed & ad excelsum fastigium euexit IOACHIMVS ELECTOR BRANDENBVRGICVS II, princeps omnibus & pacis, & belli artibus cumulatisimus: quique pro patriae, & ciuium commodis, & necessitatibus dies noctesque excubabat. Sed inde secuti Electores quorum plerique nouis additionibus exstructum vel ampliarunt, vel exornarunt. Sed perpetua vt in omnibus, ita & in his est DIVI FRIDERICI VVILHELMI gloria. Magna etiam

ORATIO

iam est FRIDERICI Regis gloria. huius enim opera sunt excelsae illae porticus, quae impositis sibi inuicem lapideorum fornicum ordinibus versus fluvium exsurgunt. Huius sunt sublimes illi, & admirabiles columnarum nexus, quos interior aula ostentat, plane ita ut gloriosissimus REX Tritauum suum non tantum sequi, sed & multis modis superare videatur. Ingentia conspiciuntur alia molimina, quibus Regia insigniter ampliata, munimenta prolata, firmata propugnacula, non terrea basi, sed & coesis & iactis ingentium molibus. Iamque exaedificatur arxilla nouis plane modis, proceditque opus maximis laboribus, & sumtibus: atque si ad finem, quod omnes vouent, atque precantur, producta fuerint coepta, nihil prorsus magnificentiae, splendori, pulcritudini poterit deesse. Delectamur incredibiliter, quando in basilica contemplamur exactissimas picturarum elegantias: maiori autem delectationi, & voluptati est, si HEROVM, ELECTORVM BRANDENBURGICORVM seriem, quae statuis ad
vtrun-

PANEGYRICA.

utrumque latus praefulget, ex marmore artificiosissime exsculptis intuemur. Ibi FRIDERICVS I virtutem spirat, qua Electorales non honores tantum, sed & ditiones promeritus est. FRIDERICVS II magnanimitatem, qua coronis se superiorem ostendit. ALBERTVS fortitudinem, qua M. Alexandrum aemulatus est. IOANNES eloquentiam, qua Ciceronis instar, imperii numina flexit. IOACHIMVS I sapientiam, qua Parnassi culmina fundavit: IOACHIMVS II pietatem, qua religionis puritatem amplexus est. IOANNES GEORGIVS prudentiam, qua paci belloque prospexit. IOACHIMVS FRIDERICVS iustitiam, qua suam, suorumque quietem circumuallauit. IOANNES SIGISMVNDVS felicitatem, qua ad augurium caeli mortales beavit: GEORGIVS VVILHELMVS dexteritatem, qua Martios furores elisit. Et quid de FRIDERICO VVILHELMO, & FRIDERICO REGE dicam, quorum res gestae tam magnae sunt, ut, quod quidem laus est maxima, ab quoquam satis digne non laudari possint. FRIDERICVS REX praeter arcem, quae ab illo ita amplifi-

ORATIO

plificata, & exornata, ipsam urbem produxit, & adiecit quintam urbem, nomenque FRIDERICOPOLI imposuit. Ex his cognoscitis, Auditores ornatisimi, admiranda cuncta, & incredibilia: non dicam in praesenti, breuitas etiam temporis non permittit, de nouae huius urbis decore, & ornamento. Gaudent pii suis bonis, & stabilitate, aguntque DEO laudes deuotione omni pro REGIS SVI, ATQVE ELECTORIS, PATRIAE PATRIS, FVNDATORIS, AVCTORIS, CONSERVATORIS, ADSERTORIS, LOCVPLETORIS, AMPLIATORIS, cura & prouidentia: praeoptantque religiose annos vitae innumerabiles. Sed deueniendum ad alia, quae non minorem concient admirationem, & venerationem. Pons ille nouus est Parisino, Londinico, Sinensibus tam famosis, aemulus: vix quis adspectu fatiari potest, quando penitus idem consideratur. Videas in hoc triumphos adumbratos, quos hostibus deuictis, imperatores Romani ducebant: pons ille ostentat stupendas illas humanae sollertiae moles, quibus olim Tiberis superbiebat. Nouimus

mus

PANEGYRICA.

mus veterum pontes , in quos tam multi nepotini, & infani sumtus facti sunt. Pons in vrbe BEROLINO triumphalis concelebrandus praeconiis hominum : hic pons Electoralis anteit priscos illos operum magnificentia. Et enim statuis deorum Romani templa sua exornarunt : sed hic vtroque pontis in latere, artificio, si non prisco, certe priscae sublimitatis aemulo, radiantes videntur, Mater deorum cum leonibus, de quibus fatis, superque constat ex historia quae sub his lateant : Saturnus cum falce: Jupiter cum aquila, & fulmine, Iuno cum pauone, Mars cum tropaeo: Hercules cum claua, & leonis exuviis: Pallas cum hasta & noctua : Diana cum pharetra, & canibus, Apollo cum lyra, & tripode, Mercurius cum gallo & caduceo; Neptunus cum Delphino & tridente: Aeolus cum sceptro & ventis: adeo vt pons hic vere PANTHEON adpellari posset; nisi gloriosiore cognomento, ab Augusto conditore, FRIDERICIANVS diceretur. Etiam Regia Electoralis BRANDENBURGICA habet, quod

ORATIO

non nostra tantum aetas , sed & omnis posteritas praedicabit in Equestri statua FRIDERICI VVILHELMI MAGNI , quam FRIDERICVS REX in pietatem perpetuam , & immortalium meritorum memoriam posuit. STATVA medium iuxta pontem , Romano Principis habitu victrice lauru , digno tanta maiestate Genio fulgescit : diis quasi praepositus , qui omnia deorum decora sublimi virtutum iubarē adaequat : Regiam suam totiens imperatoriis artibus ab insolenti hoste vindicatam contuens , non fabulosos solum deos supergreditur , sed & virtutes veras principum istorum. Ergo perstabit FRIDERICO VVILHELMO illibata sua laus : ergo FRIDERICI REGIS honos , & gloria nulla temporis iniuria conuelleretur , aut oblitterabitur. Vberrima quoque nunc esset materia de basilicis operibus aliis , in primis de COEPENICO , ORANIÖBVRGO , POTSTAMIO , BORNHEMIO differendi : in his naturam videre possumus , artificioso iuxta , & magnificentissimo conatu in quiduis nobilioris amoenitatis genus luxuriantem. Quocun-
que

PANEGYRICA.

veritas oculorum aciem mirifico, & iucundissimo spectaculo pascetur: omnia ita sunt ornata, vt nihil supra esse queat. Nihil dicendum de florae deliciis quas patentibus campis benignior aura demulcet, perennibus liquidissimarum aquarum riuus, nemorum suauissimis ambulacris. Sed haec sunt paullo seiuncta ab vrbe: quare adducam oportet quae in ipsa vrbe, & extra prope conspiciuntur. Atque visitur delicatissimum extra pomoeria suburbanum nemus, viuaria mirifica, vbi omnis generis ferae aluntur; & cum tempore agitantur ad voluptatem omnem. Praeteribo hortos Phaeacibus, & Paestanis nobiliores: vias per amplas laetissimis arboribus vestitas, viridaria, xysta, Pomoenae gratam, Bacchi, Cererisque copiam. Prolectant ambulantes amoenitates reliquae: clemens est caelum, & circumiacentis agri apricitas adlicet incredibiliter. Atque vero ad urbem revertar, & patiamini, Auditores venerandi, vt pauca adhuc addam de plateis, de domibus VRBIS BEROLINI. in his neque
lau-

ORATIO

lautitia, neque elegantia desiderari potest: situs sunt salubres, & amoeni, externae domuum formae adrident praetereuntibus: non iusto sunt altiores, nec latiores, neque ampliores, sed ad mensuram & amussim exquisitae confectae. Quicumque ergo BEROLINVM considerant, non tam mirificam pulcritudinem, & nitorem, superbas basilicarum, publicarum, priuatarumque substructiones mirantur, quam rerum omnium ordinem, prouisionem annonae, deliciarum affluentiam, omnis omnis generis artifices, ac mercatores. Quare habentur BEROLINIAM ea adfatim, quae antea ex remotioribus locis erant accersenda. in vrbe sunt omnia bene composita: intempesta nocte passim luminaria disposita sunt: vnde tranquillitas, & securitas seruatur, contra tenebrionum, & consceleratorum hominum machinamenta. Maiora superant, sed in tantillo temporis spatio non possunt referri. hoc igitur fatebuntur sinceri aestimatores, BEROLINVM Reginam in Germania praenitere tamquam lunam inter minora sidera.

Bo-
ne

PANEGYRICA.

NE DEVS! quae est cultura praestantissimarum ibi artium, ac scientiarum: videtur omnino haec vrbs: sollertis quasi naturae manu facta ad sapientiae studia amplificanda, ornanda, fouenda. Tument BEROLINI omnia: neque facile reperitur in Germania locus, in quo musae splendidius degant, & iucundius; aut percoli possint honestius, liberaliusque. Quem poterit fugere nouum illud eruditionis, & sublimiorum scientiarum theatrum excitatum, quodque regis sumptibus seruatur? Hac ex re BEROLINVM est REGIA, ELECTORALIS, & ACADEMICA sedes: ad quam confugiunt eruditi omnis loci, atque aetatis, tamquam tutum receptum. Beati praedicandi, qui ibi habitant, & bonis, quae vndique redundant, perfruuntur. De Bibliotheca cunctis Europae palmam ambigam factura; de Cimiarchiis, & pretiosissimis aliis, quibus Regia gloriatur, praestat silere, quam pauca dicere: delegatum disertissimis, & prudentissimis testimonium, qui declararunt cultiori orbi. Iam vna omnium vox est, & vota pia nuncupantur pro REGIS tanti, & DOMVS

ORATIO

BRANDENBURGICAE perpetua felicitate,
& gloria. Atque ego humillimus ex
numero tot precantium, & exuberantis
laetitiaie vocibus erumpentium, nu-
men deuotissimo mentis cultu veneror,
VT REGI, ET TOTI DOMVI BRANDENBUR-
GICAE perpetuam illam esse iubeat feli-
citatem, & florem. Iure merito pii o-
mnes reputant apud animum, quanta
bona per DOMVM BRANDENBURGICAM
percipiant: quanta bona per hanc in
Germaniam, Europam, & exteras mun-
di partes corriuentur. Per FRIDERICE
REGIS, nobis a caelo benigno dati, vitam
viuimus nos secundum DEVM: sincera re-
ligio seruatur per FRIDERICVM REGEM, &
iniusta, & aspera seruitus auertetur, &
profligabitur. Etiam vigeant in terris
Brandenburgicis disciplinae castissimae,
adsurgent scientiae: & quod exquisitis-
simum est, pietas, iustitia, & virtutes o-
mnes efflorescent. Itaque rogamus, im-
ploramus, supplicamus DEO, VT REGI
& ELECTORI NOSTRO, PATRI PATRIAE O-
ptimo, maximo indulgeat VITAM PRO-
LIXAM, IMPERIVM SECVRVVM, DOMVM TVTAM,
EXERCITVM FORTEM, POPVLVM PROBVM,

OR-

PANEGYRICA.

ORBEM QUIETVM. De nostris annis au-
geantur REGIS FRIDERICI mitissimi: sere-
nissimae REGINAE SOPHIAE CHARLOTTAE
florentissimi PRINCIPIS FRIDERICI VVIL-
HELMI: DEVS, DEVS seruet TOTAM DOMVM
BRANDENBVRGICAM: seruet, & fortunet
numen Proceres illustrissimos, mini-
stros eminentes omnes. Denique con-
cedat DEVS vrbi BEROLINO, atque in ea
omnis loci, & ordinis piis, & honestis o-
mnia, quaecumque optari, & sperari pos-
sunt a caelo. Hoc est votum meum pi-
issimum, subiectissimumque: hae sunt
preces omnium bonorum: ita supplica-
tiones, interpellationes, gratulatio-
nes votiuae circumsonant.

D I X I.

BEROLINVM
SEDES PRINCIPVM REGIA
REGVM MATER ET HEROVM
REGINA VRBIVM
CVM ALIA NON COMPARATVR
QVIA NON POTEST
SVPERIOR OMNIBVS
ALIBI NVMERANTVR PLVRES
ET VT RITE DISCERNANTVR
SANCTA EST ALIA, NOBILIS ALTERA
PVLGRA, DOCTA, OPVLENTA
NE CVMVLENTVR ELOGIA PLVRA
HIS VEL PARIA, VEL MAIORA
NOSTRA SVPERIOR EST OMNIBVS
SANCTA SINE SVPERSTITIONE
IN RELIGIONE VERA
DEVM COLIT, NON SANCTOS
NOBILIS PER VIRTVTEM ET SANGVINEM

VBI ENIM TOT NATI SVNT HEROES
 QVORVM MERITA PRAEDICAT ORBIS
 QVI REGVM ET IMPERATORVM SANGVINE DEMISSI
 REGES DEDERVNT ET IMPERATORES TERRIS
 ARCTA PROPINQVITATE SANGVINIS CONIVNCTI
 ALIA PVLCHROR NVLLA
 QVIA NON ALIBI TANTA AMOENITAS, TANTA EST GRATIA
 IN NATVRA SITVQVE LOCI ET COELI
 QVANTA IBI MAIESTAS AEDIFICIORVM
 IN TEMPLIS ET PALATIIS
 IN ORDINE ET VIARVM AMPLITVDINE
 DOCTA EST
 IMMO PALAESTRA ET ACADEMIA TOTA
 VBI ARTIS ET MARTIS TRACTANTVR OPERA
 VBI PALLAS CVM MVSIS HABITAT
 VBI PRVDENTIAE SACRARIA PATENT
 VBI LITTERAE VINDICANTVR AB INTERITV
 SCIENTIAE COLVNTVR ET AVGENTVR
 OPVLENTA EST
 SINE DAMNO ET INTERTRIMENTO ALIORVM
 QVILIBET IBI ADQVIRIT LARGITER
 NEQVE TOT ONERVVM NOMINA CIVES OPPRIMVNT
 DIVES EST REX
 CVIVS THESAVRVS RECONDITVR APVD SVBIECTOS
 HI PROMVNT IN NECESSITATE
 HI SPLENDOREM AVGENT ET MAGNIFICENTIAM
 PRO MAIESTATE REGIA
 A QVA SANE ABSTINENT ILLI
 QVOS INOPIA EXTINXIT
 TALIS EST REGINA VRBIVM NOSTRA
 ET NE MIREMVR
 TOT EIVS DOTES ESSE, TOT LAVDES
 NON VNA EST VRBS
 SED PLVRES VRBES IN VNA
 SINGVLA HAEC EDISSERET ORDINE
 IVVENIS PRAECLARVS
 PATRIAE STUDIOSSIMVS
 SAMVEL RITTNERVS, BEROLINENSIS
 CRASTINA LVCE, HORA X IN TEMPLO PAVLLINO
 HVNC VT BENIVOLE AVDIANT
 RECTOR ACADEMIAE MAGNIFICVS
 ILLVSTRISSIMI DOMINI COMITES
 PATRES ACADEMIAE CONSCRIPTI
 DOCTI ET BONI OMNES
 GENEROSA INPRIMIS ET NOBILISSIMA
 COMMILITONVM CONCIO
 DEMISSE, OFFICIOSE ET HVMANITER ORO
GEORGIVS SCHVBARTVS, D.
 HISTOR. ET ELOQV. PROF.